

pluribus, familiaritas tanta nullo cum hospite, et ea cùm officiis ejus multis, tūm etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra conjunctius. Is cum Romæ annum propè ità fuisset, ut mecum viveret: etsi eramus in magna spe, te meis litteris, commendationeque diligentissimè factum id, quod fecisti, ut ejus rem, et fortunas absentis tuere; tamen, quòd in unius potestate erant omnia; et quòd Lysos fuerat in nostra causa, nostrisque præsidiis, quotidie aliquid timebamus: effectum tamen est et ipsius splendore, et nostrō, reliquorumque hospitum studio, ut omnia, quæ vellemus à Cæsare impletarentur. Quod intelliges ex iis litteris, quas Cæsar ad te dedit. Nunc non modò non remittimus tibi aliquid ex nostra commendatione, quasi adepti jam omnia; sed eò vehementius à te contendimus, ut Lysonem in fidem, necessitudinemque tuam recipias. Cujus dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes, ne quid accideret ejusmodi, ut ne tu quidèm mederi posses: explorata verò ejus incolumentate, omnia à te studia summa cura peto. Quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendabo; in his adolescentem filium ejus, quem C. Memmius Gemellus, cliens meus, cum in calamitate exilii sui Patrensis civis factus esset, Patrensum legibus adoptavit: ut ejus ipsius hæreditatis jus, causamque tueare. Caput illud est, ut Lysonem, quem ego virum optimum, gratissimumque cognovi, recipias in necessitudinem tuam. Quod si feceris, non dubito quin in eo diligendo, ceterisque postea commendando, idem, quod ego,

sis judicii, et voluntatis habiturus. Quod cùm fieri vehementè studeo, tūm etiam illud vereor, ne, si minus cumulate videberis fecisse aliquid ejus causa, me ille negligentè scripsisse de se putet, non te oblitum mei. Quanti enim me faceres, cùm ex sermonibus quotidianis meis, tūm ex epistolis etiā tuis, potuit cognoscere. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Asclaponem medicum, ut amicum, in doctum, ut fidelem.

M. T. C. Sulpicio S. D.

Asclapone Patrensi, medico utor valde familiariter, ejusque cùm consuetudo mihi jucunda fuit, tūm etiam ars, quam sum expertus in valetudine meorum: in qua mihi tūm ipsa scientia, tūm etiam fidelitate, benevolentiaque satisfecit. Hunc igitur tibi commando: et à te peto, ut des operam, ut intelligat, diligentè me scripsisse de se, meamque commendationem usui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementè gratum. Vale.

ARGUMENTUM.

Domum, et rem familiarem M. Æmili, maximeque C. Hammonium, libertum ejus commendat.

M. T. C. Sulpicio S. D.

M. Æmilius Avianus ab ineunte adolescentia me observavit, semperque dilexit, vir cùm bonus, tūm perhumanus, et in omni genere officii diligendus. Quem si arbitrarer esse Sicyone, et nisi audiem, ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Ci-

byræ commorari; nihil esset necesse, plura me ad te de eo scribere: perficeret enim ipse profecto suis moribus, suaque humanitate, ut sine cujusquam commendatione diligeretur abs te non minus, quām et à me, et cæteris suis familiaribus. Sed, cum illum abesse putem, commando tibi majorem in modum domum ejus, quæ est Sycione, remque familiarē, maximè C. Avianum Ammonium, libertum ejus, quem quidem tibi etiam suo nomine commendō. Nam cùm propterea mihi est probatus, quod est in patronum suum officio, et fide singulari, tūm etiam, quod in me ipsum magna officia contulit, mihiique molestissimis temporibus ita fideliter, benevolèque præstò fuit, ut si à me manumissus esset. Itaque peto à te, ut eum Ammonium, et in patroni ejus negotio sic tueare, ut ejus procuratorem, quem tibi commendō, et ipsum suo nomine diligas, habeasque in numero tuorum. Hominem prudentem, et officiosum cognosces, et dignum, qui à te diligatur. Vale.

ARGUMENTUM.

T. Manlium suo Varronisque nomine commendat.

M. T. C. Sulpicio S. D.

T. Manlium, qui negotiatur Thespiis, vehementer diligo. Nam et sempèr me coluit, diligentissimeque observavit, et à studiis nostris non abhorret. Accedit èo, quod Varro Murena magnopere ejus causa vult omnia. Qui ita existimavit, etsi suis litteris, quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret, tamen mea commenda-

tione aliiquid accessionis fore. Me quidem cùm Manlii familiaritas, tūm Varronis studium commovit, ut ad te quām accuratissimè scriberem. Gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum, id est, si T. Manlium quām maximè, quibuscumque rebus honestè, ac pro tua dignitate poteris, juveris, atquè ornaveris. Ex ipsis præterea gratissimis, et humanissimis moribus, confirmo tibi, eum te, quem soles, fructum à bonorum virorum officiis expectare, esse capturum. Vale.

ARGUMENTUM.

L. Cossinium libertum commendat.

M. T. C. Sulpicio S. D.

L. Cossinio, amico, et tribuli tuo valdè familiariter utor. Nam et intèr nosmet ipsos vetus usus intercedit, et Atticus noster majorem etiam mihi cùm Cossinio consuetudinem fecit: itaque tota Cossinii domus me diligit, in primisque libertus ejus L. Cossinius Archialus, homo et patrono, et patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo et est apud patronum suum, majore studio commendare non possem. Quarè pergitatum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis; itaque eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, juveris. Id et mihi vehementer gratum erit, et tibi postea jucundum. Hominem enim summa probitate, humanitate, observantiaque cognosces. Vale.

ARGUMENTUM.

*Primum agit gratias Sulpicio, quod se totum Lysi-
soni remisisset. Deinde rogat, ut eumdem omnibus
officiis, omnique liberalitate complectatur.*

M. T. C. Sulpicio S. D.

Cùm anteà capiebam ex officio meo voluptatem, quod memineram, quām tibi diligentēr Lysonem, hospitem, et familiarem meum commendassem: tūm verò, posteaquām ex litteris ejus cognovi, tibi eum falso suspectum fuisse, vehementissimè lata-
tus sum, me tām diligentem in eo commendando fuisse. Ità enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adjumento fuisse; quōd ad te delatum diceret, sese contrā dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. De qua etsi pro tua facilitate, et humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamen primum, ut debo, tibi maxi-
mas gratias ago, cùm tantū litteræ meæ potue-
runt, ut, iis lectis, omnem offenditionem suspicio-
nis, quam habueras de Lysone, deponeres: dein-
dè, credas mihi affirmanti, velim; me hoc non pro Lysone māgis, quam pro omnibus scribere: hominem esse neminem, qui unquam mentio-
nem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso ve-
rò cum tecum propè quotidiè esset, unaque vi-
veret, non solum quia me libenter audire arbitra-
batur, sed quia libentiū ipse loquebatur, om-
nia mi tua et facta, et dicta laudabat. Quapropter etsi à te ita tractatur, ut jam non desideret commendationem meam; unisque se litteris meis omnia consecutum putet: tamen à te peto majo-

LIBER XIII.

rem in modum, ut eum etiam, atquè etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus litteris feceram, nisi eum jam per seipsum tibi satis esse notum arbitrarer. Vale.

ARGUMENTUM.

Hagesaretum breviter, sed accurate commendat.

M. T. C. Sulpicio S. D.

Hagesaretus Larisaeus, magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor, et gratus fuit, meque posteà diligentissimè coluit. Eum tibi mag-
noperè commendo, ut et hospitem, et familia-
rem meum, et gratum hominem, et virum bonum,
et principem civitatis suæ, et tua necessitudine dignissimum. Pergratuum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, hanc meam commenda-
tionem magnum apùd te pondus habuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

*Commendat Mescinii Achaica negotia ex fratriis
hæreditate.*

M. T. C. Sulpicio S. D.

L. Mescinius ea tecum necessitudine conjun-
ctus est, quōd mihi quæstor fuit: sed hanc cau-
sam, quam ego, ut à majoribus accepi, sempèr
gravem duxi, fecit virtute, et humanitate sua
justiorem. Itaquè eo sic utor, ut nec familia-
rius ullo, nec libentiū. Is quamquām confide-

re videbatur, te sua causa, quæ honestè posses, libenter esse facturum: magnum tamen esse speravit apud te meas quoquè litteras pondus habituras. Id cum ipse ita judicabat: tūm pro familiari consuetudine sāpē ex me audierat, quām suavis esset int̄ nos, et quanta conjunctio. Peto igit̄ à te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tām mihi necessario, et tām familiari, ut ejus negotia, quæ sunt in Achaja, ex eo, quod hares est M. Mindio, fratri suo, qui Elide negotiatus est, explices, et expedias tūm jure, et potestate, quam habes, tūm etiam auctoritate, et consilio tuo. Sic enim præscripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, et quod commodo tuō fieri posset, te disceptatore uterentur. Id ut honoris mei causā suscipias, vehementer te etiam, atquè etiam rogo. Illud præterea, si non alienum à tua dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum; si quī difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici nolint, si eos, quandō cum senatore res est, Romam rejeceris. Quod quod minore dubitatione facere possis, litteras ad te à M. Lepido consule, non quæ te aliquid juberent, (nēque enim id tuæ dignitatis esse arbitramur) sed quodammodo, quasi commendatias sumpusimus. Scriberem, quām id beneficium bene apud Meschinum positurus essem, nisi et te scire considerem, et mihi peterem; sic enim velim existimes, non minus me de illius re laborare, quām ipsum de sua. Sed cum illum studeo quām facillime ad suum pervenire, tūm illud labore: ut non mini-

mum hac mea commendatione se consecutum arbitretur.

ARGUMENTUM.

Gratias agit Sulpicio, quod Æmilium Avianum liberaliter, honorificeque tractasset, eundemque de�ād commendat: laudat in extremo Servium filium.

M. T. C. Sulpicio S. D.

Licet eodem exemplo sāpius tibi hujus generis litteras mittam, cum gratias agam, quod meas commendationes tām diligentè observes: quod feci in aliis, et faciam, ut video, sāpius: sed tamen non parcam opere, et, ut vos in vestris formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo. C. Avianus igit̄ Hammonius inctedibiles mihi gratias pér litteras egit et suo, et Æmilii Aviani, patroni sui, nomine. Nec liberalius, nec honorificientius potuisse tractari, nec se præsentem, nec rem familiarē absentis patroni sui. Id mihi cùm jucundum est eorum causa, quos ego tibi, summa necessitudine, et summa conjunctione adductus, commendaveram, quod M. Æmilius unus est ex meis familiarissimis, atquè intimis, maximè necessarius, homo et magnis meis beneficiis devinctus, et propé omnium, qui mihi aliquid debere videntur, gratissimus: tūm multō jucundiüs, te esse in me tali voluntate, ut plus pro sis amicis meis, quām ego præsens fortassè prodessem: credo, quod magis ego dubitarem, quid illorum causā facerem, quām tu, quid meā: sed hoc non dubito; quin existimes mihi esse gratum: illud te rogo, ut illos quoquè gratos homines esse putas, quod ita esse ti-

bi promitto, atquè confirmo. Quarè velim, quid-
quid habent negotii, des operam, quod commo-
do tuo fiat, ut, te obtinente Achajam, conficiant.
Ego cum tuo Servio jucundissimè, conjunctissimè-
què vivo, magnamque cùm ex ingenio ejus, sin-
gularique studio, tūm ex virtute et probitate vo-
luptatem capio. Vale.

ARGUMENTUM.

*Agit gratias de Mescinio humanissimè tractato-
rogatque, ut sua in eum beneficia, quibus rebus
possit, augeat; commendat etiam lacedæmonios.*

M. T. C. Sulpicio S. D.

Etsi libentè petere à te soleo, si quid opus
est meorum cuiquam: tamen multò libenter gra-
tias tibi ago, cum fecisti aliquid commendatione
mea: quod semper facis. Incredibile est enim,
quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocri-
tè à me tibi commendati. Quæ mihi omnia gra-
ta, sed de L. Mescinio gratissimum. Sic enim est
mecum locutus, te, ut meas litteras legeris, sta-
tim procuratoribus suis pollicitum esse omnia,
multò verò plura, et majora fecisse. Id igitùr (pu-
to enim etiam, atquè etiam mihi dicendum esse)
velim existimes mihi te fecisse gratissimum. Quod
quidem hoc vehementius lætor, quod ex ipso Mes-
cinio te video magnam capturum voluptatem. Est
enim in eo cùm virtus, et probitas, et sumnum of-
ficiū, summaque observantia; tūm studia illa nos-
tra, quibus anteā delectabamur, nunc etiam vivi-
mus. Quod reliquum est, velim augeas tua in eum
beneficia omnibus rebus, quæ te erunt dignæ:

sed duo, quæ te nominatim rogo: primū, ut, si
quid satisdandum erit, amplius eo nomine non
peti cures, ut satisdetur fide mea: deindè, cum fe-
rè consistat hæreditas in iis rebus, quas avertit
Oppia, quæ usor Mindii fuit, adjuves, ineasque
rationem, quemadmodū ea mulier Romam per-
ducatur. Quod si putarit illa fore, ut opinio
nostra est, negotium conficiemus. Hoc ut asse-
quamur, te vehementer etiam, atquè etiam rogo.
Illud, quod suprà scripsi, id tibi confirmo, in
meque recipio, te ea, quæ fecisti Mescinii causā,
quæque feceris, ità benè collocaturum, ut ipse
judices, homini te gratissimo, jucundissimo be-
nignè fecisse. Volo enim ad id, quod mē cau-
sa fecisti, hoc etiam accedere. Nec lacedæmonios
dubitare arbitror, quin ipsi sua, majorumque suo-
rum auctoritate satis commendati sint fidei, et
justitiae tuæ: et ego, qui te optimè novissem,
non dubitavi, quin tibi notissima et jura, et
merita populorum essent. Itaque, cum à me pete-
ret Philippus lacedæmonius, ut tibi civitatem
commendarem; etsi memineram, me ei civitati om-
nia debere; tamen respondi, commendatione la-
cedæmonios apud te non egere. Itaque sic velim
existimes, me omnes Achajæ civitates arbitrari
pro horum temporum perturbatione felices, quod
tu iis præsis: eumdemque me ita judicare, te,
quod unus optimè nosses, non nostra solūm, sed
etiam Græciæ monumenta omnia, tua sponte ami-
cum lacedæmoniis et esse, et fore. Quarè tantum
à te peto, ut, cum ea facies lacedæmoniorum cau-
sa, quæ tua fides, amplitudo, justitia postulat;
his si tibi videbitur, signifiques, te non molestè

ferre, quod intelligas, ea, quae facias, mihi quæ grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curæ mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam, atque etiam rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Diligentissima commendatio Capitonis pro bæreditate Antistiti.

M. T. C. L. Plancus S. D.

Non dubito, quin scias, in iis necessariis, qui tibi à patre relicti sunt, me tibi esse vel coniunctissimum, non iis modò causis, quæ speciem habent magnæ conjunctionis, sed iis etiam, quæ familiaritate, et consuetudine tenentur; quam scis mihi jucundissimam cum patre tuo, et summam fuisse. Ab his initiis noster in te amor profectus auxit paternam necessitudinem, et eò magis, quod intellexi, ut primùm per ætatem judicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me à te primit cœptum esse observari, coli, diligi. Accedebat non mediocre vinculum cùm studiorum, quod ipsum est per se grave, tūm eorum studiorum, earumque artium, quæ per se ipsæ eos, qui voluntate eadem sunt, etiam familiaritate devincunt. Expectare te arbitror, hæc tam longè repetita principia quod spectent. Id priuñ ergo habeo, non sine magna, justaque causa hanc à me commemorationem esse factam. C. Atejo Capitone utor familiarissimè. Notæ tibi sunt varietates meorum temporum. In omni genere et honorum, et laborum meorum et animus, et opera, et auctoritas, et gratia, etiam res fa-

miliaris C. Capitonis præstò fuit, et patuit et temporibus, et fortunæ meæ. Hujus propinquus fuit T. Antistius. Qui cum sorte quæstor Macedonia obtineret, nequè ei successum esset, Pompejus in eam provinciam cum exercitu venit. Faceret Antistius nihil potuit. Nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquiùs, quād ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reverti; præsertim cum sciret, quanti in Cæsarem ficeret, semperque fecisset. Sed oppressus, tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit. Cum signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere, eum præfuisse, neque possum negare, eum affuisse, sed non plū duobus, aut tribus mensibus. Deinde abfuit à castris: fugit omne negotium. Hoc mihi, ut testi, velim credas. Meam enim ille mœstitiam in illo bello videbat: mecum omnia communicabat. Itaqù addidit se in intimam Macedoniam, quod potuit longissimè à castris, non modò ut non præcesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. Is post prælium se ad hominem necessarium A. Plancium in Bithyniam contulit. Ibi eum Cæsar cum vidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit; Romam jussit venire. Ille in morbum continuò incidit: ex quo non convaluit. Æger Corcyram venit: ibi est mortuus. Testamento, quod Romæ Paullo, et Marcello COSS. fecerat, hæres ex parte dimidia, et tertia est Capito. In sextante sunt ii, quorum pars sine ulla cujusquam querela publica potest esse. Ea est ad H. S. xxx. sed de hoc Cæsar viderit. Te, mi Plance, pro paterna necessitudine, pro nostro amore, et omni cursu nostro totius vitæ simillimo, rogo, à te ita peto, ut majore cura,

majore studio non possim, ut hanc rem suscias, meam putas esse; enitare, contendas, efficias, ut mea commendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. Omnia quæ potui in hac summa gratia tua, ac potentia à te impetrare, si petivissem, ultrò te ad me detulisse putabo, si hanc rem impetravero. Illud fore tibi adjumento spero, cuius ipse Cæsar esse optimus judex potest: sempèr Cæsarem Capito et dilexit, et coluit. Sed ipse hujus rei testis est: novi hominis memoriam. Itaque te nil doceo: tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. Ego, quod in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quantum sit ponderis, tu videbis; quam partem in repub. causamque defenderim; per quos homines, ordinesque steterim, quibusque munitus fuerim, non ignoras. Hoc mihi velim credas: si quid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris voluntate, quod intellexerim scire ipsum Cæsarem me invitissimum fecisse: id feci aliorum consilio, hortatu, auctoritate: quod fuerim moderatior, temperatiorque, quam in ea parte quisquam id me fecisse maximè auctoritate Capitonis: cuius similes si reliquos necessarios habuissem, repub. fortassè non nihil, mihi certè plurimum profuissem. Hanc rem, mi Plance, si effeceris, meam de tua erga me benevolentia spem confirmaveris, ipsumque Capitonem, gratissimum, officiosissimum, optimum virum, ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adjunxeris. Vale.

ARGUMENTUM.

L. Manlium in hæreditate fraterna, et omnibus in rebus commendat.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

L. Manlius est Sosis: is fuit Catinensis: sed est unà cum reliquis Neapolitanis civis romanus factus, decurioque Neapoli: erat enim adscriptus in id municipium, antè civitatem sociis, et latinis datum. Ejus frater Catinæ nupèr mortuus est; nullam omnino arbitramur de ea hæreditate controversiam eum habiturum: et est hodiè in bonis: sed quandò habet præterea negotia vetera in Sicilia sua, et hanc hæreditatem fraternalm, et omnia ejus tibi commendō, in primisque ipsum, virum optimum, mihique familiarissimum, his studiis litterarum, doctrinæque præditum, quibus ego maximè delector. Peto igitùr abs te, ut eum, sive aderit, sive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximeque necessariis scias esse: itaque tractes, ut intelligat, meam commendationem sibi magno adjumento fuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Flavium, Pisonis generi sui cum viveret, per necessarium, commendat.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

C. Flavio, honesto, et ornato equite romano, utor valdè familiariter: fuit enim generi mei C. Pisonis pernecessarius, meque diligentissimè observat et ipse, et L. Flavius, frater ejus. Quapropter velim honoris mei causa, quibus rebus

honestè, et pro tua dignitate poteris, quam honorificentissimè, et quam liberalissimè, C. Flavium tristes. Id mihi sic erit gratum, ut gratiùs esse nihil possit. Sed præterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, sed tūm familiaritate, et necessitudine, tūm etiam veritate, te ex C. Flavii officio, et observantia, et præterea splendore, atquè inter suos gratiam et magnam voluptatem esse capturum. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat duos hospites suos Alesinos.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

In Alesina civitate tām lauta, quam nobili, conjunctissimos habeo et hospitio, et familiaritate M. et C. Clodios, Archagatum, et Philonem. Sed vereor, ne, quia complures tibi præcipue commendabo, exæquare videar ambitione quadam commendationes meas; quamquam à te quidē cumulatè satisfit et mihi, et meis omnibus. Sed velim sic existimes, hanc familiam, et hos mihi maxime esse conjunctos vetustate, officiis, benevolentia. Quamobrèm peto à te majorem in modum, ut his omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesque patietur, commodes. Id si feceris, erit mihi vehementissimè gratum. Vale.

ARGUMENTUM.

Libertos, et negotia Nasonis commendat.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

Cn. Otacilio Nasone utor familiarissimè, ita

prorsùs, ut illius ordinis nullo familiaris. Nam et humanitate ejus, et probitate in consuetudine quotidiana magnoperè delector. Nihil jam opus est expectare te, quibus eum verbis tibi commendem, quo sic utar, ut scripsi. Habet is in provincia tuā negotia, quæ procurant liberti Hilarius, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiaque omnia Nasonis non secūs commendabo, ac si mea essent. Gratissimum mihi feceris, si intellexero, hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Lysonem, hospitem suum.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

Avitum mihi hospitium est cum Lysone, Lysonis filio Lilybætano, valdèque ab eo observor, cognovique dignum et patre, et avo: est enim nobilissimā familiā; quapropter commendabo tibi majorem in modum rem, domumque ejus: magnoque opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commendationem maximo sibi apud te et adjumento, et ornamento fuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat hospitem et familiarem suum Philoxenum.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

C. Avianus Philoxenus antiquus est hospes meus, et præter hospitium, valdè etiam familiaris: quem Cæsar meo beneficio in Novocomenses retulit. No-

Hh

men autem Aviani consecutus est, quod homine ullo plus est usus, quam Flaco Aviano meo, quem admodum te scire arbitror, familiarissimo; quæ ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem hanc meam. Peto igitur abste, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes, habeasque in numero tuorum; perficiasque, ut intelligat, has litteras meas magno sibi usui fuisse. Erit id mihi majorem in modum gratum. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Demetrium Megam in jure civitatis, omnibusque in rebus.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo, civitatem à Cæsare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur; cumque propèr quosdam sordidos homines, qui Cæsaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina civitate donatorum incisa essent, revelli jussisset; eidem Dolabellæ, me audiente, Cæsar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur; beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium romanorum numero haberes, cæterisque in rebus tibi eum ita commendo, ut majore studio neminem commendarim. Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, meam commendationem magno sibi ornamento fuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Hippiam in liberatione bonorum, et omnibus in rebus.

M. T. C. Acilio S. D.

Hippiam, Philoxeni filium, Calactinum, hospitem, et necessarium meum tibi commendo maiorem in modum. Ejus bona, quemadmodum ad me delata res est, publicè possidentur alieno nomine contra leges Calactinorum. Id si ita est, etiam sine mea commendatione ab æquitate tua res ipsa impetrare debet, ut ei subvenias. Quoquo modo autem se res habet; peto à te, ut honoris mei causa eum expedias: tantumque ei commodes, in hac re, et in cæteris, quantum tua fides, dignitasque patietur. Id mihi vehementer gratum erit. Vale.

ARGUMENTUM.

Brutii negotia, procuratoresque commendat.

M. T. C. Acilio S. D.

L. Brutius, eques romanus, adolescens omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meque observat diligentissime: cuius cum patre magna mihi fuit amicitia jam indè à quæstura mea Siciliensi. Omnipotens nunc ipse Brutius Romæ mecum est: sed tamen domum ejus, et rem familiarem, et procuratores tibi sic commendo, ut majore studio commendare non possum: gratissimum mihi feceris, si curaris, ut intelligat, id, quod ei recepi, hanc meam commendationem sibi magno adjumento fuisse.

ARGUMENTUM.

Commendat Titurnium Rufum.

M. T. C. Acilio Procos. S. D.

Cum familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus, ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mili omni diligentia, atque officio est tuendus. Est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidii putet esse. Quapropter eum tibi commendando majorem in modum: et abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adjumento fuisse. Erit id mihi vehementer gratum.

ARGUMENTUM.

L. et C. Aurelios fratres commendat.

M. T. C. Q. Anchario, Q. F. Procos. S. D.

L. et C. Aurelios, L. filios, quibus et ipsis, et patre eorum, viro optimo, familiarissimè utor, commendando tibi majorem in modum, adolescentes omnibus optimis artibus ornatos, meos pernecessarios, tua amicitia dignissimos. Si ulla mea apud te commendatio valuit, quod scio multas plurimum valuisse, haec ut valeat, rogo. Quod si eos honorificè, liberaliterque tractaris, et tibi gratissimos, optimosque adolescentes adjunxeris, et mihi gratissimum feceris. Vale.

ARGUMENTUM.

Gratias agit et suo, et Pompeji nomine de Luccejo benignissimè tractato: eundemque denuò commendat.

M. T. C. Culleolo S. D.

Quæ fecisti L. Lucceii causa, scire te planè volo, te homini gratissimo commodasse: et cum ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt; tum Pompejus, quotiescumque me videt (videt autem sæpissimè), gratias tibi agit singulares. Addo etiam illud, quod tibi jucundissimum esse certò scio, me ipsum ex tua erga Luccejum benignitate maxima voluptate affici. Quod superest, quamquam mihi non est dubium, quin cum anteà nostra causa, nunc jam etiam tuæ constantiæ gratia mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te vehementer etiam, atque etiam peto, ut ea, quæ initio ostendisti, deindeque fecisti, etiam ad exitum augeri, et cumulari per te velis. Id et Luccejo, et Pompejo validè gratum fore, teque apud eos præclarè positum, confirmo, et spondeo. De rep. deque his negotiis, cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter paucis antè diebus, easque litteras dederam pueris tuis. Vale.

ARGUMENTUM.

Luccejum commendat, jam ante commendatum.

M. T. C. L. Culleolo Proc. S. D.

L. Luccejus meus familiarissimus, homo omnium gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit:

cum diceret, omnia te cumulatissimè, et liberallissimè procuratoribus suis pollicitum esse. Cum oratio tua tām ei grata fuerit, quām gratam rem ipsam existimas fore; cum, ut spero, quæ pollicitus es, feceris? Omnino ostenderunt Bylliones sese Luccejo Pompeji arbitratu satisfacturos. Sed vehementēr opus est nobis, et voluntatem, et auctoritatem, et imperium tuum accedere: quod ut facias te etiam, atque etiam rogo. Illudque mihi gratissimum est, quod itā sciunt Lucceii procuratores, et itā Luccejus ipse ex litteris tuis, quas ad eum misisti, intellexit, hominis nullius apud te auctoritatem, aut gratiam valere plūs, quām meam. Id ut te experiatur, iterūm, et sāpius te rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Oppium commendat Gallio in Ciliciam proficiscenti.

M. T. C. Q. Gallio S. D.

Etsi plurimis rebus spero fore, ut perspiciam, quod tamen jampridē perspicio, me à te amari: tamen nunc ea causa tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me benevolentiam. L. Oppius M. F. Philomeli negotiatur homo mihi familiaris. Eum tibi unicē commendo, eoque magis, quōd cùm ipsum diligo, tūm quōd negotia procurat L. Egnatii Rufi, quo ego uno equite romano familiarissimè utor; et qui cùm consuetudine quotidiana, tām officiis plurimis, maximisque mihi conjunctus est. Oppium igitur præsentem ut diligas, Egnatii absentis rem ut tueare, et quē à te peto, ac si mea negotia essent. Velim, memoriaz

tua causa, des litterarum aliquid, quæ tibi in provinciam reddantur: sed itā conscribas, ut iūm cùm eas leges, facile recordari possis hujus mēz commendationis diligentiam. Hoc te vehementēr etiam, atque etiam rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Eundem Oppium rursus eidem commendat.

M. T. C. Q. Gallio S. D.

Etsi ex tuis, et L. Oppii, familiarissimi mei litteris cognovi, te memorem commendationis mea fuisse, idque pro tua summa erga me benevolentia, proque nostra necessitudine minimē sum admiratus; tamen etiam, atque etiam tibi L. Oppium præsentem, et L. Egnatii, mei familiarissimi absentis negotia commendo. Tanta mibi cum eo necessitudo est, familiaritasque, ut si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter mihi gratissimum feceris, si curaris, ut is intelligat, me à te tantūm amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratiū facere nihil potes. Idque ut facias, vehementēr te rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Egnatii, et servum Anchialium, et negotia Appulejo commendat.

M. T. C. Appulejo Proq. S. D.

L. Egnatio uno equite romano vel familiarissimè utor. Ejus Anchialium servum, negotiaque, quæ habet in Asia, tibi commendo non minore

studio, quām si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim, mihi cum eo non modō quotidiam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna, et mutua nostra inter nos esse. Quamobrē etiam, atque etiam à te peto, ut cures, ut is intelligat, me ad te satis diligentē scripsisse. Nam de tua erga me voluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam, atque etiam rogo. Vale.

ARGUMENTUM.

Nostium cohæredem suum commendat.

M. T. C. Appulejo Proquæst. S. D.

L. Nostius Zoilus est cohæres meus, hæres autem patroni sui. Ea re utrumque scripsi, ut et mihi cum illo causam amicitiae scires esse, et hominem probum existimes, qui patroni judicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commendabo, ut unum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi apud te magno adjumento fuisse. Vale.

ARGUMENTUM.

Egnatium, communem amicum, commendat.

M. T. C. Silio S. D.

Quid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? sed tamen, ut scires, eum non à me diligi solū, verū etiam amari; ob eam rem tibi hæc scribo. Omnia tuorum officiorum, quæ et multa, et magna sunt, mihi gratissimum fue-

rit, si ita tractaris Egnatum, ut sentiat, et se à me, et me à te amari. Hoc te vehementer etiam, atque etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. Utatur igitur vulgari consolatione. Quid, si hoc melius? sed hæc coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari à me scias. Vale.

ARGUMENTUM.

Omnes Cyprios, maximeque Paphios commendat.

M. T. C. C. Sextilio Rufo Quæs. S. D.

Omnes tibi commendabo Cyprios, sed magis Paphios: quibus tu quæcumque commodaris, erunt mihi gratissima. Eoque facio libentius, ut eos tibi commendem, quod et tuæ laudi, cuius ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulam quæstor venetus, ea te instituere, quæ sequantur alii. Quæ, ut spero, facilius consequere, si et P. Lentuli, necessarii tui, legem, et ea, quæ à me constituta sunt, sequi volueris. Quam rem tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

ARGUMENTUM.

Commendat Q. Pompejum.

M. T. C. Curio Procos. S. D.

Q. Pompejus Sexti F. multis, et veteribus causis necessitudinis mihi conjunctus est. Is cum antea meis commendationibus et rem, et gratiam, et auctoritatem suam tueri consueverit, nunc profecto, te provinciam obtinente, meis litteris asse-